An. et vol. XXXXVI 18 Martii 1954 (Ser. II, v. XXI) - N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Spedizione in abbonamento postale - Gruppo III

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 81 - Motu Proprio, p. 88 - Litterae Apostolicae, p. 89 - Epistula, p. 94 - Nuntius radiophonicus, p. 95 - Adhortatio, p. 99.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Concilii*: Decretum, p. 104 - *S. C. Rituum*: I Formula benedictionis novi Seminarii, p. 104 - II, III, IV Decreta de miraculis pro canonizatione Beatorum, p. 107 - *S. C. pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis*: Decretum, p. 115.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 117.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze - Necrologio, pp. 118-128.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • LIV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1300 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 100 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXVI, n. 3 – 18 Martii 1954)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. KADUNAËNSIS. *Magno gaudio.* – Apostolica Praefectura de Kaduna ad Dioecesis dignitatem evehitur mutatis finibus. – 29 Iunii 1953. . . 81

II. DE INDIA. *Mutant res.* – Novus Ecclesiasticarum Provinciarum status in Indica regione definitur. – 19 Septembris 1953 83

MOTU PROPRIO

Quaedam verba expunguntur in can. 2319 § 1, 1°. – 25 Decembris 1953. . . 88

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Quae antiquitate.* – Basilicae minoris honoribus ac privilegiis afficitur paroecialis Ecclesia Sancti Severini, Episcopi, in Urbe et Archidioecesi Coloniensi exstans. – 9 Martii 1953. 89

II. *Quae intemerata.* – S. Maria Goretti, V. M., altera Patrona constituitur civitatis Neptunii, Albanensis Dioecesis. – 1 Iulii 1953. 90

III. *Ad Evangelii.* – Ordinis Fratrum Minorum Constitutiones approbantur et confirmantur. – 14 Iulii 1953 . . 91

EPISTULA

Cum hodie quintus. – Ad Illustrem et Honorabilem Virum Aloisium Einaudi, Italorum Reipublicae Praesidem, ob quina lustra ab inita sollemni Conventione inter Apostolicam Sedem et Italorum Nationem. – 11 Februarii 1954. 94

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Allorchè, docili. – Universis Christifidelibus aegrotis datus, ob « Diem pro infirmis » Anno Mariano indictum. – 14 Februarii 1954. 95

Adhortatio. – Ad Parochos Urbis et Concionatores Sacri Temporis Quadragesimalis. – 28 Februarii 1954. . . 99

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONCILII

PAG.

Indultum abstinentiae. – 8 Martii 1954. . 104

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. URBIS ET ORBIS. – Formula benedictionis novi Seminarii Clericalis. – 12 Maii 1953. 104

II. Decretum de miraculis pro canonizatione Beati Pii Pp. X. – 17 Ianuarii 1954. 7

III. Decretum de miraculis pro canonizatione Beati Petri Aloisii Mariae Chanel, Sacerdotis e Societate Mariae, Oceaniae Protomartyris. – 17 Ianuarii 1954. 110

IV. Decretum de miraculis pro canonizatione Beatae Mariae Crucifixae di Rosa, fundatricis Congregationis Ancillarum a Caritate. – 17 Ianuarii 1954. 113

SACRA CONGREGATIO PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

Decretum. – Minora territoria concredita curae et vigilantiae Pontificiarum Legationum apud Respublicas Cubanam, Haitianam et Dominicianam, Foederatas Venetiolae Civitates et Foederatas Americae Civitates noviter distribuuntur. – 14 Ianuarii 1954. 115

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis:

Romana. – Nullitatis matrimonii (De Rossi-Riderelli. – 8 Februarii 1954. . 117

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . . 118

Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 119

Necrologio 128

An. et vol. XXXXVI 18 Martii 1954 (Ser. II, v. XXI) – N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

KADUNAENSIS

APOSTOLICA PRAEFECTURA DE KADUNA AD DIOECESIS DIGNITATEM EVEHITUR MUTATIS FINIBUS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Magno gaudio magnaque laetitia animus perfunditur Noster quotiens comperimus fidem catholicam per terrae oras progressus facere ac fines proferre. Cum autem operosus faustusque Evangelii praeconum labor monet diem venisse novae alicuius dioecesis erigendae ad utilitates animorum, Nos, quos Deus voluit arcano consilio et suam ipsius gloriam unice quaerere et aliorum curare salutem, maiore fruimur voluptate quam si aeneum monumentum Christo erexissemus. Libenter igitur ratum habemus quod venerabiles Fratres Nostri, Sacrae Congregationi Christiano Nomini Propagando praepositi, censuerunt faciendum quoad Apostolicam Praefecturam de Kaduna, in Nigeria. Quapropter, re attentissimo animo considerata, de sententia venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titulo Apameni in Bithynia, eiusdemque in Africa Orientali et Occidentali Britannica Apostolici Delegati; eorum consensum supplentes qui in hoc negotio aliquid iuris sese habere arbitrentur, de Nostra summa et apostolica potestate, quam in universam Ecclesiam obtinemus, haec quae sequuntur decernimus ac statuimus. Apostolicam

Praefecturam de Kaduna ad dioecesis dignitatem evehimus, quam in posterum Kadunaënsem nomine appellari volumus, immutatis ut sequitur finibus: ad septemtrionem terminabitur Praefecturae Apostolicae Niameyensis territorio; ad orientalem vero partem praefecturae Apostolicae de Jos, nuperrime ad gradum dioecesis evectae, limitibus; ad meridionalem autem regione quam Ondoënsis dioecesis complectitur; ad occidentalem denique partem districtibus de Sokoto et de Katsina, quibus nova Praefectura Apostolica de Sokoto constituitur. Huius modo erectae Ecclesiae Sedes in Kaduna urbe erit; cathedram vero episcopalem collocabit Antistes in eo civitatis templo quod magnitudine ac magnificentia aptius existimabitur quodque iam nunc ad cathedralis aedis gradum evehimus. Quae privilegia, honores, iura et onera ceterarum dioecesium et Episcoporum dignitatem consequuntur, eadem omnino erunt huius novae Sedis eiusdemque Antistitum propria. Erunt tamen, sive Episcopus, scilicet, sive Ecclesia, Lagosensi Archiepiscopo eiusque Sedi metropolitanae subiecti et obnoxii. Placet insuper ut in Kadunaënsi dioecesi Canonicorum Collegium constituatur Quae res dum ad effectum non potuerit adduci, concedimus ut Canonicorum loco Consultores dioecesani eligantur qui sinceris consiliis assiduoque labore suae Ecclesiae Praesulem iuvent. Iubemus praeterea ut seminarium saltem elementarium in eadem Sede condatur pueris excipiendis et educandis quos suo numine suaque gratia moverit omnipotens Deus ad sacerdotalia munera suscipienda. Cum autem per apostolicas sub plumbo Litteras, hoc die datas, ex Apostolica Praefectura Kadunaënsi nova Praefectura Apostolica de Sokoto et nova dioecesis Kadunaënsis constiterint, mensam episcopalem, quam dicunt, huius sedis ea bona constituent quae post divisum territorium ad hanc, pro rata parte, spectabunt, vel ea bona quae Curiae obvenient; vel a christianis dabuntur; vel denique Sacra Congregatio Fidei Propagandae mittere solet. Quod vero ad iura cleri et populi spectat, itemque ad Vicarii Capitularis seu Administratoris Apostolici, Sede vacante, electionem, et alia huiusmodi, haec omnia legibus quae in Codice habentur omnino regantur. Quae autem his Litteris statuimus venerabilis Frater David Mathew exsequenda curabit, quem supra memoravimus, vel ille qui eo tempore quo decreta ad exitum adducentur Delegationi Apostolicae in Africa Orientali et Occidentali Britannica praeerit. Qui tamen rem perficiet, ei potestates agendi negotii tribuimus, cuilibet viro subdelegandas, si opus fuerit, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Idem, autem, onus habebit, confecto opere, documenta exarandi eorumque fide digna exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae quam primum mittendi.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis quavis praeditus auctoritate sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis vel locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum praeferant viri in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ CLEMENS Card. MICARA
Sacri Collegii Subdecanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

† Alfonsus Carinci, Archiep. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXVII, n. 58.

II

DE INDIA

NOVUS ECCLESIASTICARUM PROVINCIARUM STATUS IN INDICA REGIONE DEFINITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Mutant res huius revolubilis aevi, ac temporum varietate alternisque fortunae vicissitudinibus miseri premuntur mortales. Una autem Ecclesia, quae firma aeternaque Dei voluntate nititur, non modo nullis

frangitur periculis nullaque pessum datur molestia; sed omnem arripit occasionem, qua data diffundendae christianae religioni aptius consulere queat. Nos igitur, quibus summus caelorum Pater eiusdem Ecclesiae gubernacula tractanda commendavit, prorsus esse tempus censemus ut hoc faciamus in finibus Indiae: qua in regione, antiquitatis, humanitatis virtutumque cultu praeclara, rei catholicae administratio ita ordinanda est ut eius ratio ac forma cum rerum statu, qui nunc est, magis accommodate congruat. In ea enim evangelicae semen veritatis divino Numine crevit, e quo, veluti maximae arboris frondes umbrosae, novae christianorum familiae novaeque dioeceses ortae sunt; quin etiam in eodem territorio res civiles novatae sunt, cum praesertim recens creata est Natio, quae Pakistania appellatur. Quae mutationes auctusque numerus fidelium postulant ut Ecclesiasticae Provinciae in India nunc exstantes, quarum status anno millesimo octingentesimo octogesimo septimo primum definitus est, nostris hisce diebus aptius disponantur. Quae cum ita sint, benigno videmus ac diiudicamus animo Sacri Coetus Christianae Fidei Propagandae consilium ut quaedam in praesenti Provinciarum, quas supra diximus, statu noventur: dioeceses nempe de Ranchi, Nagpurensem, Hyderabadensem, Bangalorensem et Madhuraiensem ad Metropolitanarum Sedium dignitatem perducendo; dioecesim pariter Malacensem, e Pondicheriensi archidioecesi distractam, ad archiepiscopalis Ecclesiae gradum elevando; Sedes denique suffraganeas Metropolitis Ecclesiis, in India iam exstantibus vel recens constitutis, sapientius assignando. Postquam igitur exploravimus quid venerabilis Frater Martinus Lucas, Archiepiscopus titulo Adulitanus et in Indica regione Apostolicus Internuntius, de hoc sentiat negotio, ac sententiam pariter venerabilium Fratrum in eadem regione Praesulum diligenter exquisivimus; de consilio dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinalis S. Congregationis Fidei Propagandae Praefecti, qui Nobis eiusdem S. Coetus sententiam palam fecit: consensum praeterea supplentes eorum omnium qui in hac re habeant aliquid iuris aut sese habere arbitrentur; post rem denique intentissime consideratam ac clara eorum scientia quae gesturi sumus, de suprema Nostra potestate ea quae sequuntur constituimus. Episcopales Ecclesias, quarum supra meminimus, primum e suis cuiusque Ecclesiasticis Provinciis distrahimus, videlicet: dioecesim de Ranchi a Calcuttensi Provincia, Nagpurensem et Hyderabadensem Sedes a Provincia Madraspolitana et Meliaporensi, Bangalorensem Ecclesiam ab archidioecesi Pondicheriensi et Cuddalorensi, Madhuraiensem denique a Provincia Bombayensi. Quas omnes deinde episcopales Sedes, a suarum archidioecesium iure nunc

subtractas, ad gradum et dignitatem producimus earum Ecclesiarum, quae metropolitana auctoritate pollent. Cum vero ex his archidioecesibus nunc constitutis novae sint Ecclesiasticae Provinciae formandae, haec quae sequuntur item statuimus: 1) Ecclesiastica Provincia *de Ranchi* ex his constabit Ecclesiis: ex metropolitana scilicet eiusdem nominis, atque ex suffraganeis Sedibus Cuttackensi et Sambalpurensi, quarum prima ad hodiernum diem archidioecesi subiciebatur Madraspolitanae et Meliaporensi, altera vero Calcuttensi. 2) Ecclesiastica Provincia *Nagpurensis* metropolitana componetur eiusdem nominis Sede atque suffraganea Ecclesia Raigarhensi-Ambikapurensi, quam e iure eximimus Calcuttensis archidioecesis. Cui Nagpurensi Provinciae item subdetur Apostolica Praefectura Iabalpurensis, quae fuit hactenus suffraganea Madraspolitanae et Meliaporensi Ecclesiae. 3) Ecclesiastica Provincia *Hyderabadensis* ex metropolitana eiusdem nominis Sede constabit atque e suffraganeis Ecclesiis: Vijayavadana, Nellorensi, Gunturensi, Visakhapatnamensi et Warangalensi, quae omnes adhuc usque suffraganeae fuerunt Madraspolitanae et Meliaporensi archidioecesi. 4) Ecclesiasticam Provinciam *Bangalorensem* constituent metropolitana eiusdem nominis Sedes atque suffraganeae Ecclesiae: Mangalorensis, a Bombayensi disiuncta archidioecesi, Mysuriensis, e Pondicheriensi et Cuddalorensi archidioecesi subtracta, ac denique Bellaryensis, a metropolitana Sede Madraspolitana et Meliaporensi separata. 5) Ecclesiastica Provincia *Madhuraiensis* constabit denique ex metropolitana eiusdem nominis Ecclesia; cui suffraganeae erunt dioeceses Tiruchirapolitana et Tuticorensis, a Bombayensi archidioecesi separatae. Postremo, a metropolitanae Ecclesiae Pondicheriensis et Cuddalorensis iure *Malacensem* dioecesim eximimus eandemque ad gradum et dignitatem extollimus archiepiscopalis Ecclesiae, quae Nostrae et Apostolicae Sedis erit posthac obnoxia auctoritati. Cum ergo, hasce post immutationes, Ecclesiae status in Indica regione aptius accommodatiusque sit disponendus, decernimus ut, praeter eas Provincias quas supra descripsimus, reliquae etiam Ecclesiasticae Provinciae demum apte definiantur ut in ipsis novus suffraganearum dioecesium ordo Metropolitanis Sedibus attribuatur. Qui ordo ita constituetur: 1) Metropolitanae Ecclesiae *Verapolitanae*, quae Ecclesiasticae Provinciae Verapolitanae praeest, suffraganeae erunt dioeceses: de Kottar, Quilonensis, Trivandrensis Latinorum et de Vijayapuram, in eadem Provincia iam exstantes, Calicutensis, a metropolitana Bombayensi Sede distracta, ac denique Alleppeyensis et Cochinensis, quae ad hodiernum diem suffraganeae fuerunt Ecclesiae Goanae et Damanensi. 2) Metropolitanae Sedi *Madraspolitanae*

et Meliaporensi, quae Ecclesiasticae praeest eiusdem nominis Provinciae, suffraganeae erunt dioeceses: Vellorensis et Coimbaturensis, quarum prima in eadem Provincia iam inest, alteram vero e iure eximimus Pondicheriensis et Cuddalorensis Ecclesiae. 3) Metropolitanae archidioecesis *Pondicheriensis et Cuddalorensis,* capitis eiusdem nominis Provinciae, auctoritati hae dioeceses erunt obnoxiae: de Salem et Kumbakonamensis, in eadem Provincia iam exstantes, ac Tanjorensis, a Madraspolitana et Meliaporensi Ecclesia separata. 4) Metropolitanae Ecclesiae *Bombayensi,* quae caput est Bombayensis Provinciae, esse pergent suffraganeae episcopales Sedes Ahmedabadensis et Poonensis; cui Provinciae iungetur Belgaumensis dioecesis, quam per Apostolicas sub plumbo Litteras « Summa illa sollicitudo » hoc ipso die constituimus. 5) Metropolitanae Sedi *Calcuttensi,* quae Ecclesiasticae praeest Provinciae Calcuttensi, erunt, uti suffraganeae, subiectae dioeceses: Krihsnagarensis, Ialpaiguriensis, Patnensis, Shillongensis et Dibrugarhensis, in eadem Provincia iam exstantes. Quae Provincia etiam complectetur Apostolicas Praefecturas de Malda, de Haflong et de Sikkim, quarum postrema in Calcuttensi Provincia iam inest. 6) Metropolitanae denique Ecclesiae *Agraensi,* eiusdem nominis Provinciae capiti, suffraganeae esse pergent Episcopales Sedes Aimerensis, Lucknowensis et Indorensis. Cui Provinciae pariter subdentur Apostolicae Praefecturae de Jullundur atque de Kashmir et Jammu. Quarum fines Provinciarum finibus aequabuntur omnium simul dioecesium ex quibus singulae constant, quae per has Litteras ipsis attributae sunt. Volumus praeterea ut Praesules qui Sedibus moderantur de Ranchi, Nagpurensi, Hyderabadensi, Bangalorensi et Madhuraiensi, quae hisce Nostris Litteris ad metropolitanam dignitatem perductae sunt, iis omnibus posthac decorentur iuribus, honoribus et privilegiis, quibus ceteri eiusdem gradus et dignitatis Metropolitae Archiepiscopi: ut est crucem ante se ferre in suae cuiusque Provinciae Ecclesiasticae territorio ac pallio ornari iuxta liturgicas leges, postquam tamen fuerit in publico Consistorio expostulatum atque obtentum; tenebuntur autem iisdem officiis et oneribus, quibus Metropolitae omnes astringuntur. Quae pariter Sedes ad metropolitanae Ecclesiae gradum deductae sunt, iisdem fruentur iuribus officiisque obligabuntur, quae ceterarum eiusdem honoris Ecclesiarum sunt propria. Item Malacensis Sedis Praesul, cuius Ecclesiam Nobis et Apostolicae Sedi directo subiecimus, archiepiscopali dignitate in posterum exornabitur, iisdemque iuribus ac privilegiis, oneribus et obligationibus tenebitur quibus ceteri per orbem eiusdem gradus Archiepiscopi non Metropolitae. Ut autem ea quae Nostris his Litteris iubemus efficiantur,

venerabilem, quem supra diximus, Fratrem Martinum Lucas deligimus vel eum qui eo tempore, quo haec decreta ad rem adducentur, Apostolicae praeerit in Indica Republica Internuntiaturae; cui vero contigerit hoc exsequendum negotium, illi necessarias ad id potestates facimus, cuilibet subdelegandas, si opus fuerit, viro, qui ecclesiastica dignitate sit praeditus. Iubemus pariter ut idem venerabilis Frater hoc confectum negotium in tabulas referat, quarum fide digna exempla ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide quam primum mittenda curabit.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die undevicesimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ CLEMENS Card. MICARA
Sacri Collegii Subdecanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

† Alfonsus Carinci, Archiep. Seleuc., *Dec. Proton. Ipost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap.. vol. LXXXVII, n. 36.

MOTU PROPRIO

QUAEDAM VERBA EXPUNGUNTUR A CAN. 2319 § 1, 1°

PIUS PP. XII

Ecclesiae bonum postulat ut, quantum fieri potest, caveamus ne, incertis privatorum hominum de germano canonum sensu opinionibus et coniecturis, Iuris canonici stabilitas in discrimen vocetur, neve, subtilitatibus et cavillationibus immorando, contra apertam legislatoris voluntatem, legum violatoribus indulgeatur iniuste, quod nervum ecclesiasticae disciplinae disrumpit.

Sed quidam sacrorum canonum interpretes id non satis attendentes vim can. 2319 § 1, 1° extenuarunt atque, plus aequo innixi praescripto can. 1063 § 1 in eodem revocati, docuerunt non quodlibet matrimonium a catholicis initum seu attentatum coram ministro acatholico puniri excommunicatione Ordinario reservata.

Itaque ne christifideles, metu poenae liberati, eiusmodi crimen admittere audeant, Nos, auditis Emis ac Revmis Patribus Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, Motu Proprio ac de plenitudine Apostolicae potestatis, decernimus atque iubemus ut a can. 2319 § 1, 1° expungantur verba « *contra praescriptum can. 1063 § 1* ».

Mandamus autem ut hae Litterae Apostolicae, Motu Proprio datae, in *Actis Apostolicae Sedis* edantur.

Contrariis quibuslibet non obstantibus, etsi peculiarissima mentione dignis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXV Decembris mensis, in festo Nativitatis Domini, anno MCMLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XII

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BASILICAE MINORIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS AFFICITUR PAROECIALIS ECCLESIA SANCTI SEVERINI, EPISCOPI, IN URBE ET ARCHIDIOECESI COLONIENSI EXSTANS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae antiquitate et religione potissimum commendantur, Aedes sacrae e translaticio Apostolicae Sedis instituto solent praecipuis honoribus condecorari. In quibus accensendum est Sancti Severini Templum, quod in urbis Coloniae Agrippinae non modicum vertit ornamentum. Exstat enim eo in loco, quo saeculo II vergente corpora Christi cultorum efferebantur. Quarto vero ineunte saeculo eodem in sepulcreto exstructa fuit parva Aedes, quam Sanctus Severinus Praesul, ab se laxatam, auctam, instructam, non multo tempore post honori Sanctorum Martyrum Cornelii et Cypriani dedicavisse traditur. Exinde Templum, per hominum aetates iterum atque iterum refectum et immutatum, ab eodem est Sancto Severino appellatum. Insignis autem, quae nunc conspicitur Ecclesia, amplitudine et forma nec non sacris turribus venusta, a saeculo XIII et XIV est repetenda. Tantum vero opus altero, quod per totum flagrabat orbem terrarum, bello ignivomis missilibus fuit misere verberatum, diffractum, at invicta pietate reparatum atque in melius restitutum. Quod autem maxime Nostra interest, ea in Aede, Canonicorum olim Collegio honestata, nunc vero curiali, et sacrorum administri et Christifideles e laicorum ordine rebus divinis impigri insistunt. Memorandum quoque diem festum Sancti Severini summa cum caerimonia quotannis ibi celebrari neque defervescere piam animorum alacritatem in supplicatione, indicta, eorum sollemnium causa, in octavum diem. Praeterea Templum Sanctorum reliquiis atque sacra supellectile ita affluit ut nihil videatur in praeclaro hoc religionis domicilio desiderandum. Quibus omnibus permotus, Dilectus Filius Noster Iosephus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Frings, Archiepiscopus Coloniensis, vota quoque Nobis significans Curionis et Christifidelium, preces ad Nos detulit ut eam sacram Aedem, tot laudibus ornatam, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus libenter admissis, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis pleni-

tudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum paroecialem Ecclesiam Deo in honorem Sancti Severini, Episcopi, in urbe et Archidioecesi Coloniensi consecratam, ad honorem ac dignitatem Basilicae Minoris evehimus, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis itidem insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, autoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Martii, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis
GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

II

S. MARIA GORETTI, V. M., ALTERA PATRONA CONSTITUITUR CIVITATIS NEPTUNII, ALBANENSIS DIOECESIS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae intemerata invictaque coluit virginitatis pudorem, Sancta Maria Goretti in oppido Neptunio, intra Albanensis dioecesis fines, et a civibus et ab advenis religionis causa perpetuis ornatur obsequiis. Inclita enim Martyr, cum huius lucis frueretur usura, saepius Neptunium se contulit ut Templum Almae Deiparae a gratiis adiret; ibidem, vulneribus confossa, purissimam efflavit animam estque sepulcri honore donata. Sacra autem eius ossa postea e publico sepulcreto in Aedem, quam diximus, fuerunt translata et in culto sacello, non ita pridem exstructo, religiose condita, postquam lectissima virgo caelestibus honoribus fuit cumulata. Cum igitur haec iam constituta esset Agri Pomptini Patrona atque Dioecesis Albanensis tutrix aeque principalis cum Sancto Pancratio, oppidi Neptunii incolae, sive sacra civilive potestate ornati sive plebs Deo devota, preces ad Nos admoverunt ut Sanctam Mariam Goretti, utpote quam quasi domesticam ha-

berent gloriam, suae civitatis alteram Patronam caelestem renuntiaremus. Quae vota, Venerabilis Fratris Nostri Iosephi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Pizzardo, Episcopi Albanensis, commendatione suffulta, benigno animo explentes, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctam Mariam Goretti, Virginem et Martyrem, civitatis Neptunii alteram Patronam constituimus et declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras, firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die I mensis Iulii, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

III

ORDINIS FRATRUM MINORUM CONSTITUTIONES APPROBANTUR ET CONFIRMANTUR

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Ad Evangelii rationem Sodales Franciscales seu Fratres Minores, ex Christi Domini suique Auctoris, « pauperis Asisinatis », disciplina, vitam componentes, civitati christianae suoque Ordini eximium decus attulerunt atque incrementum. Quod praecipue effecerunt, cum Regulam, a legifero illo Patre, Dei afflante numine, conditam et ab Apostolica Sede approbatam, adamussim observarent. Quo autem tam arduum atque egregium inceptum expeditius peragerent, ad eandem Regulam peculiares leges seu Constitutiones addiderunt, qui-

bus germana Sancti Francisci instituta et Ecclesiae praecepta, de religiosa vita temporis successu data, magis explicarentur. Quae Constitutiones quanti sint momenti, quanta commendentur utilitate, ipsa Ordinis, quem diximus, historia comprobatur. Namque vix duodecim annis exactis a Sancti Francisci obitu, generalis Ordinis coetus, anno MCCXXXIX coactus, Constitutiones ab omnibus Sodalibus sanxit servandas, quas, novis auctas ordinationibus, Sanctus Bonaventura, cum universo Ordini moderaretur, perfecit, et in generali conventu, Narbone anno MCCLX acto, promulgavit, unde Constitutiones Narbonenses deinceps solebant appellari. Hae igitur leges, sapientiae et consilii in regendis sodalibus luculenta testimonia, pro praecipuis insequente tempore obtinebant. Id vero proprium fuit Ordinis Fratrum Minorum eas ad novas aetatum condiciones atque Ecclesiae normas accommodare, quemadmodum post Concilium Tridentinum, in generali coetu Toleti a. MDLXXXIII celebrato, factum est. Est etiam prae Nobis ferendum peculiaria statuta pro iis lata esse Familiis religiosis, quae, non quidem ab Ordine Franciscali seiunctae, austeriorem tamen vivendi rationem servabant. Hisce igitur nisa legibus, ampla Fratrum Minorum Sodalitas alta et magnifica protulit ad suum incrementum et ad communem Ecclesiae et Christifidelium fructum. Neque praetermittendum est Romanos Pontifices, Decessores Nostros, suam in hunc Ordinem propensam voluntatem pluries significasse eiusque profectui paterna cum caritate consuluisse, sive Regulam legitime interpretando, ut Nicolaus Pp. III, Clemens Pp. V, Innocentius Pp. XI, sive novas Constitutiones provide condendo vel approbando, ut Martinus Pp. V, Eugenius Pp. IV, Iulius Pp. III, sive alia statuendo, ut Leo Pp. X, qui Ordinem bipartito sua divisit auctoritate, vetus eius sigillum attribuens Generali Ministro Fratrum Minorum. Qua nova cum rerum condicione ut leges convenirent, Fratres Franciscales, qui Minores nuncupantur, statim in generali Ordinis conventu, Lugduni anno MDXVIII celebrato, studiose effecerunt. Iuvat quoque memorare Leonem Pp. XIII, Decessorem Nostrum, sacra hac Religiosorum Sodalium Familia ad maiorem unitatem revocata, sublatisque ac deletis nominibus et peculiaribus statutis singularum eius partium, anno MDCCCLXXXXVII unum corpus Constitutionum promulgavisse, quo universus Fratrum Minorum Ordo in posterum regeretur. Denique, quinquagesimo revoluto anno a praeclaro hoc Leonis Pp. XIII opere, Ordo Fratrum Minorum hoc iniit consilium ut Constitutiones iterum recognoscerentur, quo cum Ecclesiae ordinationibus hac aetate editis cumque iis magis congruerent, quae ad religiosam vitam sancte agendam et ad apostolicum munus utiliter obeundum nunc videntur necessaria vel op-

portuna. Quae quidem Constitutiones, in generali eiusdem Ordinis coetu anno MDCCCCLI Asisium advocato expensae, huic Apostolicae Sedi propositae sunt ut eiusdem auctoritate approbarentur. Idcirco Sacra Congregatio Religiosis Sodalibus praeposita, perspectis iuris nunc vigentis normis, reputatisque iis, quae haec ferunt tempora atque postulant, ita nova quaedam induxit ut Constitutiones illae, a peritis viris perscriptae, indolem Regulae Sancti Francisci veraque eiusdem legiferi Patris instituta quam maxime praeferrent. Ut autem, qui in numerum tertianorum Franciscalium ante quinquaginta amplius annos sumus ascripti, Nostram erga Fratrum Minorum Familiam eiusque Sodales benevolentiam et amorem declararemus, eius precibus de novarum Constitutionum approbatione et confirmatione satisfacere libenti animo decrevimus. Quapropter, e Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Constitutiones Generales Ordinis Fratrum Minorum, iuxta exemplum, quod in Tabulario eiusdem Sacri Consilii asservatur, et cuius initium « Insignis Christi sectator » atque extrema sunt verba « quamprimum persolvantur », approbamus et confirmamus iisque Apostolicae sanctionis robur adicimus, et ut ab omnibus eiusdem Ordinis Sodalibus ubique terrarum fideliter serventur, praecipimus ac mandamus. Hisce simul Litteris et auctoritate Nostra abrogamus et abrogatas esse declaramus eas leges, quae novo hoc Constitutionum exemplo non continentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces, semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Iulii, in festo Sancti Bonaventurae, Episcopi et Ecclesiae Doctoris, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

EPISTULA

AD ILLUSTREM ET HONORABILEM VIRUM ALOISIUM EINAUDI, ITALORUM REIPUBLICAE PRAESIDEM, OB QUINA LUSTRA AB INITA SOLLEMNI CONVENTIONE INTER APOSTOLICAM SEDEM ET ITALORUM NATIONEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, Illustris et Honorabilis Vir, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Cum hodie quintus ac vicesimus exeat annus, ex quo in Lateranensibus aedibus pacta conventa inter Apostolicam Sedem et Italorum Nationem feliciter inita fuere, putamus id, quod in fastos referre oportet, et Nostram et eorum omnium, quibus avitae religionis patriaeque concordia in honore est, gratam excitare memoriam. Siquidem per sollemnes eiusmodi pactiones et vetus dissidium sanatum est, et res rationesque inter utramque partem compositae, et normae ac principia fuere sancita, quibus Ecclesia et Italiae gens mutua consensione mutuaeque utilitatis incremento inter se continerentur. Hoc igitur rerum adiuncta et tempora, quibus evenit, omnino exsuperat; et auspicalem lapidem esse ac fore opportunum est, firmum quidem et immobilem, quo publicae necessitudines arctiores usque in commune bonum innitantur, quibus Romanus Pontifex et Italorum Natio invicem devinciantur.

Nos quidem ut Te, Illustris et Honorabilis Vir, ita omnes cuiusvis ordinis cives confidimus huius eventus faustitatem eosque sensus quibus gratulabundi movemur, libenter esse participaturos. De re enim agitur, quae ad populi, imprimis Nobis carissimi, concordiam ac veri nominis prosperitatem summopere confert.

Ut autem aliquid praebeamus, quod amplissimae significationis videatur index et auspex, volumus Tibi ac Nationi, cui digne praees, partem illam Arae Pacis Augustae donare, quae in Museo Vaticano asservatur. Esto huius arae fragmentum illius pacis insigne, quae XXV abhinc annis inter Apostolicam Sedem et Italiam convenit, atque etiam plenissimae illius pacis, quam Divinus Redemptor, concinentibus angelis, hominibus nuntiavit bonae voluntatis.[1]

[1] *Cfr.* Luc. 2, 14.

Interea vero caelestium munerum auspicem peculiarisque benevolentiae Nostrae pignus, cum Tibi, Dilecte Fili, Illustris et Honorabilis Vir, tum carissimo Italorum populo perlibenter in Domino Apostolicam Benedictionem impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XI mensis Februarii, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS AEGROTIS DATUS, OB « DIEM PRO INFIRMIS » ANNO MARIANO INDICTUM.*

Allorchè, docili alle divine ispirazioni, indicemmo nello scorso settembre la celebrazione dell'Anno Mariano, e poco dopo, nella festività della Immacolata, Noi stessi volemmo darne solenne principio dall'aurea Basilica Liberiana, recandoCi colà a deporre le Nostre suppliche ai piedi di Colei che è la « Salute del popolo romano » e delle genti tutte, fin d'allora pensavamo a voi, diletti figli e figlie malati, con particolare diritto tra i più vicini al Nostro spirito e stretti al Nostro cuore.

Sopra di voi, infatti, si china con amorosa tenerezza la Madre di Dio, premurosa di asciugare le lacrime degli afflitti, ricorrenti al suo materno seno come a porto sicuro tra le tempeste. Parimente su di voi, che della Chiesa di Dio siete preziosi gioielli e valida fonte di spirituali energie, fa assegnamento il Vicario di Cristo, per ottenere in questo anno benedetto i molteplici ed urgenti frutti proposti nella Nostra Enciclica « Fulgens Corona » a salute della umanità e della stessa Chiesa.

Questa viva speranza Ci muove ad indirizzarvi la Nostra parola nella presente giornata, con l'intento di raccogliervi tutti sotto l'amorevole protezione della Madre comune, l'Immacolata, di circondarvi della carità Nostra e di tutti i fedeli che per voi pregano, e di ricordarvi la missione, alla quale vi ha destinati la Provvidenza nella infermità.

Grazie alla tecnica moderna possiamo parlare direttamente a molti malati e Ci auguriamo di poter raggiungere per altra via coloro che non possono ascoltarCi. Certo vorremmo avere la onnipresenza di Dio:

* Die 14 Februarii mensis a. 1954.

vorremmo accostarCi ad ognuno di voi, diletti figli e figlie, languenti nei grandi e piccoli ospedali, nei sanatori, nelle cliniche, negli ospizi, nelle prigioni, nelle caserme, nelle desolate soffitte dei più poveri o nelle appartate camerette delle vostre case. Fanciulli dai volti pallidi come fiori cresciuti senza il calore del sole; giovani, il cui raro sorriso esprime piuttosto la forza dell'animo che non la freschezza dell'età; uomini maturi, sottratti amaramente al dinamismo lor proprio; vecchi, alla cui naturale stanchezza la malattia aggiunge disagi e sofferenze.

Noi abbiamo sempre supplicato Gesù di fare il Nostro cuore in qualche modo simile al Suo; cuore buono, cuore mite, cuore aperto a tutte le sofferenze, a tutte le pene. Ma quanto vorremmo avere un qualche riflesso della onnipotenza di Lui! Come desidereremmo di passare in mezzo a voi, asciugando lacrime, recando conforti, sanando ferite, ridonando vigore e salute!

